

2182

H

Ci
660

Cv 660

Manuscr.
Carmina juvenilia

i n

Pomeraniae ad Christianam fidem conversae

Saecularia sacra septima

XVII. Cal. Jul. celebranda

edidit

C. F. W. Hasselbach.

Pettin ~~an~~ 1^o Juli
1824.





F. Encke von

Sedini MDCCCXXIV Formis Struckianis.

Ci 660

1933.1499.

Aus der
Stadtbibliothek
Stettin



U. Q. 7945/1933M 1499

versusque illam ieiunum exercitiumque exercitabilem emulatulae. Unde
omnes cum Aeneis et Troja auxiliis luctare videntur, ambi cap-
tibus armis armati, quod non solum ex veritate, sed etiam ex
argos tristes, durosque bellicos, sed etiam ex dilectione, quod

*Quae hic carmina in publicam quodammodo lucem emitto, ex
umbratili ea quidem exercitatione, cui non ficta, sed vera pro-
ponere argumenta soleo, profecta sunt, haud tamen indigna
visa, quae diem festum omnibus Pomeranis solemniter agendum
suis modis concelebrarent. Non enim nihil omnino interesse
aequalium potest, quales in juventute quoque nostra, proximae
aetatis spe, hic dies animorum sensus excitaverit. Ne quis igitur
malignius suspicetur, vanae cuidam vel ingenii qualiscunque,
vel comparatae versuum confiendorum facultatis ostentationi
quicquam a nobis concessum esse: a qua ostentatione, qui
melius nostra perspecta habet, alienissimos nos esse minime
dubitabit. Poteram plura etiam numeris certe variis fusa dare,
nisi et chartae parcendum, neque patientia lectorum, quos ne
ejusdem materiae nimis saepe repetitae caperet taedium metue-*

*bam, abutendum duxissem: quamquam nequivi mihi temperare,
quo minus oblata semel occasione alteri in diem festum compo-
sito carmini alterum ejusdem auctoris, juvenis optima indole
praediti, vel propter aliquam patrii argumenti quasi cogni-
tionem adjungerem.*

*Quod reliquum est, si cui forte severiori judici haec
carmina in manum inciderint, eum rogatum volo, ut juvenilia
haec esse cogitet, neque, cum eo consilio scripta non sint, ut e
gymnasii umbraculo in solem producerentur, multa litura coēr-
cita, atque praesectum ad unguem decies castigata.*

Sedini mense Jun. MDCCCXXIV.

H.



Pomerania.

Dices severam tu Lacedaemonem,
Clarasve Cadmii, vel Priami senis
Arces, vel aeternam Quirini
Carmine tu celebrabis urbem.

Fortasse mavis tollere honoribus
Campos beatos, quis sacra Palladi
Phoebi benigni mitigatur
Aetheris radiis oliva,

Vel te juvabit dicere Hiberiam,
Patremve Rhenum, caerulea manu
Thyrsum tenentem vitibusque
Purpureis hederaque vinctum

Frontem decoram, Non ego fervidam
Aetnen, neque altum Vesuvium cano, —
Te patriam laudabit almam,
Phoebe fave! juvenile carmen.

Colles tui nec celsa cacumina
Aequant Olympi, nec juga Caucasi,
Umbrosa nec campos opacat
Palma tuos neque odora laurus.

At ver serenum graminibus solum
Vestit tenellis, frondibus arbores,
Nec sibilant lingua trisulca
Ilice sub patula dracones.

O vos paterni littora fluminis,
Hertha equae operae nobilis insula,
Cui candidam oram pulsat undis
Perpetuis mare fluctuosum,

Fidum et heatum vos alitis genus,
Quod nec superbae luxuries Tyri
Contaminavit, nec nefandae
Degeneris populi Quirini.

Fraudes et astus; non tibi principis
Insana caedes opprobrio est, neque
Tu Marte civili videbis
Sanguine se maculare fratres.

Dextram colonus porrigit hospiti
Duram benigne, atque exiguae domus
Fessum viatorem labore
Comiter excipiunt Penates.

Instar tuarum libera queruum,
Instarque fluctus indomiti maris
Nunquam tyrannorum exterorum
Foeda feres juga, nec tulisti.

Non te tuentur passibus invji.
Saltus, neque Alpis culmina frigidae
Objecta, nec deserta Martem
Sanguineum prohibent maligna:

At civium tu pectore bellico,
Ferroque nullo crimine sordido
Concordiaque uteris alma,
Praesidio potiore muris.

Et Musa, sacro vertice nobilis
Expulsa Pindi, non Boream ferum
Horrescit, et campus nivosis
Saepe canit geniale carmen.

Qui cuncta justus conspicis arbiter,
Adsis benignus tu patriae meae,
Ut praebeat dignam vetusta
Se suboles probitate patrum.

d. R.



Carmina saecularia.

I.

Festam reduxit nunc deus optimus
Puramque lucem! Gaudia carpite
Vultu sereno, atque amovete
Tristitiam, Pomerani, inertem!

Gratesque dignas solvite numini!
Octavum enim jam saeculum adest, io!
Praecepta postquam Christianae
Huc fidei tulit Otto sanctus,

Forti ille pollens pectore, et impiger
Casus, labores, omnia perpeti,
Acri dum amore et singulari
Erga deum pietate flagrat.

Nox incubabat barbariae ferae
Arvis paternis: sanguine victimae
Aras madentes heu! tegebant
Dira superstitionis umbra.

Caliginem hanc ut dissipet undique,
 En appropinquat missus ab exteris
 Divinitus: cedunt repente
 Nubila jam radio salutis:

 Summus deus jam discitur unicus,
 Qui procreavit lucida sidera,
 Almamque terram, qui benigne
 Nos fovet intimo amore cunctos,

 Per filium qui datus veniam reis. —
 O gratiam persolvite debitam,
 Flexisque festam rite, cives,
 Poplitibus celebrate lucem! —

B.



- II.
- Imbue, Caecilia! o dulcis tutela poëtae
 Coelestibus languentis ingeni modis
 Venas, ut celebrem solemni carmine sanctum,
 Patriae solo qui sacra prospere attulit
 5. Signa crucis, verba et docuit felicia Christi,
 Rupitque vincla erroris immanis fera.
 Caeca supersticio terrae incumbebat avitae
 Mentesque majorum rudes fallacibus
 Turba sacerdotum regnabat fraudibus, atque
 10. Placabat iram numinum inclementium
 Sanguinis unda nigri, calidumque e pectore vulsum
 Cor: namque duro Marte captorum greges
 Compedibus vincti, atque nefas quantum! puerorum
 Insontium saevos cadebant ad focos: —
 15. Bellicus usque agros late vastabat et urbes
 Furor, dabantque rura moestas anxi
 Agricolae messes pingui saturata cruento. —
 Tandem o deus coelorum ab orbe errantium
 Tu miserans ardore pio stimulas Bugslavum,
 20. Qui bellicosae jura dat Poloniae,
 Et laxas flectit patriae quoque gentis habenas,
 Arctam pati ullam servitutem nesciae.
 Jamque parans fidei praeconia mittere verae
 Dei ministros ad sacrum negotium

25. Sed frustra! invitat: — tenebrosum carceris antrum
Dirique cunctos flamma deterret rogi.
Solum illum, Christi adsidue qui jussa facessit,
Ottonem inanes non minae terrent pium.
Aeterni invicto domini percussus amore
30. Dicto vocantis non moratur obsequi.
Ac jucunda suae Bambergae deserit arva
Nostras iturus longe ad horas invias,
Ut populis misere in mortis torpentibus umbra
Alnum novae solem salutis nunciet.
35. Et pater omnipotens generose incepta secundat,
Oculisque caecam detrahit caliginem,
Ut magnam ex alto videant lucem exorientem
Pedesque ad aequam dirigant pacis viam.
At furiata cohors, mendax cui cura sacrorum est,
40. Iras coquit torvas fremensque atrociter
Suppliciis terret populum, suadetque minando,
Ut ludicris rursum diis flectant genu.
Quin etiam raptis concurrunt undique telis,
Jamque appropinquant, jamque barbari manus
45. Doctorem sanctum horrenda petit impia clava.
Sed integrum servat dei benignitas.
Impiger en! pergit divinum spargere semen,
Frugesque sperans uberes domum reddit.
Fallitur! Infelix iterum lolium obtegit agros,
50. Et pullulant zizaniorum semina.

- Non tamen ad coepitos jam deficit ille labores:
Reversus ecce! herbas nocentes eruit.
Nunc nitidae late segetes, nunc omnia rident,
Nec pulchra Christi culta deformat squalor.
55. Nunc et praesidum vitae columenque salutis
Firmum est, via et coelorum ad axem nunc patet:
Quique olim jactati odiis in bella ruebant,
Pacati amore nunc fovent se mutuo:
Quaeque hominum poliunt mores, quae pectora mulcent,
60. Discuntur artes, et fugit ferocitas! —
Haec posuisti, Otto, monumenta perennia famae,
Seri quibus gaudent nepotes jugiter,
Atque deo referunt grates, et carmine festo
Te, te salutis muncium laeti canunt.

G.



III.

Obscura nostrae nox Pomeraniae
Velabat oras, qua mare Balticum
Pellucidum electrum volutat,
Qua boreas equitans per undas

Raucis flagellat litora fluctibus,
Flavamque arenam subjicit in juga,
Pontumque quaerit qua per agros
Irriguos Viadrus quietus,

Olim colentes hic populi feri
Campos diis heu! non minus efferis
Aras struebant, quas sacerdos
Saepe cruento hominum inquinabat.

Namque his micabat tunc regionibus
Non dum salutis perpetuae jubar,
Lux alma Christi, quae tenebras
Gentibus ex aliis fugarat.

Ottonis at jam castum animum movet
Mortalium tot pernicies: iter
Tentat molestum, veritatis
Nunciet ut miseris nitorem.

Blandae preces non certa pericula
Casusque saevos vaticinantium
Terrent tenacem, ut feriatus
Propositum abjiciat laborem:

Tenditque fido cum comitum agmine
Atque apparatu splendidus aureo
Gnesnam, potentis qua Poloni
Hospita jam domus alta surgit.

Bugslavus armis tunc Pomeraniae
Gentem inquietam fregerat horridis,
Captae et reluctantis Sedini
Aëriae imperitabat arci.

Duram at manentem nec docilem regi
Gentem ferocem mitiget ut probe,
Collis jugum Christi additurus
Suave, virum vocat infulatum.

Ergo vocatum comiter excipit:
Sed non mora illi est! accelerat gradum,
Divina ne mandata fallat,
Sponte sua properus minister,

Calcansque nostrae jam patriae solum,
Nec vana sperans auspiciis bonis
Pyrißae opima accedit arva,
Semina quis meliora credat.

Sed festum agentes indigenis diis
Num derelinquent dulcia gaudia,
Praecepto ut austero obsequantur,
Spernere ficta sacra haec jubenti?

Linquunt! — salubris gratia sic trahit!
Sancto abluuntur rore piacula,
Fons uique adhuc manat perennis,
Facti ita fama memor perennat.

Jam quid Julinum nobile ego canam,
Aut quid Sedinum altum patriae caput,
Urbesve cunctas, mente quotquot
Verba dei accipiunt fideli?

Otto serit namque umbriferam arborem,
Quassamque firmans irrigat impigre. —
Radice fixa en! haeret alta,
Fructibus et locupletat omnes.

Vitae beatae carpere adhuc licet
Fructus: deus, te psallimus, arborem
Qui procreasti, — quique sevit,
Hunc quoque laudibus efferamus!

S.



IV.

Felices patriae colles, lateque patentes
 Vos campi, quos dives aristis
 Distinguit flavis Autumnus, vosque virentes
 O sylvae nemorumque latebrae!

5. Nunc vobis, roseo qui splendet lumine Phoebus,
 Arridet, nec jam lacrymosos
 Amovet a vobis vultus argentea luna
 Lux noctis: nitet ore sereno.
 Felices urbes clarae turresque propinquae
 10. Vos coelo et radiantibus astris!
 Nunc nec fictorum fallacia jussa deorum,
 Pontificis nec saeva minantis
 Decipiunt fraudes populos, nec fumida turpi
 Jam manant altaria caede
 15. Seu nautae trepidi, Boreas quem prensit iniquus
 Ventosa bacchatus ab arcto,
 Velisque eversis ad diras appulit oras,
 Fluctibus heu! ponti malefidis
 Fidentem nimium, nimium mortalium amori;
 20. Seu capti, quem bella cruenta,
 (Vae, pede serpentem melius calcare latentem!)
 Hosti tradiderant furibundo,
 Quo nec caerulei pelagi nec fervida flammae

Vis ferior nec saevior ira.

25. Sol ex alto oritur en fulgor lucidus umbras
 Deturbat, caecasque tenebras!
 Horrifeme fugit en! insana superstitionis
 Jam rabies; properatque paventem
 Stultitia inferno vultum occultare recessu
 30. Insolito percussa nitore!
 Gramineis campis quis ad sinuata volutat
 Littora Jordanis sacer undas,
 Quis Libanus nubes nemoroso vertice tangit,
 Orta salus, lux, gaudia mundi.
 35. Ipsa Dei summi, mundi qui temperat orbem,
 Ipsa Dei suboles — Deus ipse
 Induit humanam casta de virgine natus
 Effigiem, ut nobis maculosas
 Ablueret patrum labes et sanguine puro
 40. Antiquum foedus renovaret,
 Sancta fides Christi, nunquam enarrabile donum
 Numinis aeterni, in regiones
 Progreditur cunctas, mortis quas obtegit umbra,
 Non veluti torrens violentus,
 45. Qui rigidi saltus praeceps de vertice querum
 Prosternit, cedrumque superbam,
 Sed fluvio similis, qui per viridiania prata
 Lenis agit cum murmure fluctus,
 Omnia delectans et lympha divite circum

50. Humectans campos sitientes. —
 Jamque hiyeme immitti qui horrentia littora Volgae
 Incolit, atque polo glaciali
 Finitimus Danus curvato poplite verum
 Coelorum dominum venerantur.
55. Patria macte! etiam tibi Christus morte cruenta
 Occubuit, miseraeque ruinae
 Te eripuit: jam jam divino numine plenus
 Approperat tibi praeco salutis!
 Ottonem fidumque Deo sanctumque ministrum,
60. Commissas qui pascit eburno
 Christiadum lituo gentes, ubi Moenus aprica
 Bambergae praeterfluit arva,
 Hunc deus elegit, gravis ut, mea patria, vinclis
 Erroris te solveret arctis.
65. En subito fervor generosus corripit illum,
 Nec duri ingentesque labores
 Impavidam terrent mentem, nec blanda querela
 Detorquet, verum ore sereno
 Solatur lacrymis dextram sine fine rigantes
70. Supplicibus, comitesque fideles
 Sumit, et implorat precibus coepoque sibique
 Numinis auxilium omnipotentis,
 Et semel intuitus placido penetralia vultu
 Patria, carpit iter pede fausto.
75. Jamque tuis instat campis, Pyrissa beata,

- Fluctuat immensis ubi culmis
 Triticeae segetis mare. Tum vero undique clamor
 It coelo, collesque resultant
 Ingenti circum strepitu, densaeque catervae,
80. Planitiem compleat spatiosam.
 Festa, namque agitur pompa deus ecce triformis
 Flagrantesque trahuntur ad aras
 Lanigerae pecudes et tauri fronte minaces,
 Sanguineis sacra munera divis.
85. Jam trepidant comites: ast inconcussus inani
 Otto metu, in turbamque ferocem
 Progreditur, celebratque Deum, qui morte cruenta
 Peccantes a morte redemit.
 Obstupuere omnes, at vis divina subegit
90. Indomitos, cunctique priusquam
 Septimus e ponto surgit sol aureus, undam
 Accipiunt auramque salubrem.
 Inde petit pius Otto tuos, Stargardia, campos,
 Finitima et ponto arva Camini
95. Magnificisque opibus ditissima tecta Julini
 Ac tua tum celebrata, Sedinum,
 Moenia, quae specula e celsa ridentia prata
 Prospiciunt sylvasque silentes.
 Ipse manu forti simulacra infamia Divum
100. Praecipitat: saevit furialis
 Turba sacerdotum, gelidusque horror Pomeranos


- Invadit, sed fulmina nulla
Audacem feriunt: en frangit templa deorum
Ipse manu populus truculenta.
105. At blandis revocat verbis damnosa caterva
Pontificum gentem ad modo spreta
Fana deūm — reticet campanae clangor acutae,
Atque iterum madet ara cruento.
Sed redit Otto! pavent sontes, gemituque profundo
110. Orantes veniam per acerbam
Adjurant Christi mortem, sese intemerata
Culturos fidem in omnia saecla.
Nec jusjurandum hoc, gyris dum terra rotatur
Perpetuis, Pomerania rumpes!
115. Sic malus quondam frondens, cui gnavus arator
Insevit ramos generosos,
Primus ubi pictas Autumnus mitigat uvas,
Stat foliis siccis moriensque
Demittit tristis caput: ast ubi signa revertens
120. Sol nitidus bis sena peregit,
Ecce peregrina florescit fronde viretque,
Et late nova brachia pandit.
Jamque iterum patriae campos parat Otto revisos
Linquere, jam mandata peregit
125. Magna Dei. Colles ubi surgunt fronde decori,
Quercus ubi sylvestris opacat
Irrigua valles, altoque cacumine nutat,

- Atque Sedinum ubi tollit ad astra
Turrigeras arces, fidos collegit amicos.
130. Sollicitus claudit dolor ora,
Effunduntque acres lacrymas, sed fronte serena
Sic fatur venerabilis Otto:
Jam detrusa jacent alto fundamine Divūm
Futilium deformia signa,
135. Templa jacent, jacet ara, neque ad sublimia pinguis
Erigitur jam sidera fumus!
At simul e diris surgunt augusta ruinis
Fana Dei, cui flammeus ordo
Stellarum obsequitur, coelum qui numine torquet
140. Immensum terrasque capaces.
Qui simulac vasta jaculatur fulmina dextrā,
Et tonitru per inania spargit
Horrisonum, pallent saevo concussa pavore
Astra, tremunt fluctusque tumentes,
145. Concentusque silent coeli, qui ab origine rerum
Vocali clangore stupentes
Complebant aures: heu formidabilis ultrix
Ira Dei summi sceleratis!
At veluti solis facies orientis amoena,
150. Grata Dei clementia mentem
Erigit afflictam atque velut laetabilis aura
Aetherii veris redolentes.
Quo graditur, flores generat: fugit anxius horror,

Gaudiaque exsultant ubicunque! —

155. Stant tua templa, Deus, stabunt dum quassat arēnas
 Littoreas pontus fremebundus,
 Dum Viadrus volvit lertas crystallinus undas,
 Dumque virent herbis et odoris
 Floribus hi colles: ea nec vesana procellae
 160. Vis franget nec fervidus ignis!
 Ipsius augustaeque caput venerabile matris,
 Ipsi, scio! velabitur umbris
 Roma tenebrosis: at tu, Pomerania, luce
 Aeterna puraque nitebis.

d. R



U82074 82094-

Biblioteka Główna UMK



300020892612

61

